5

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA,

DE FEBRIBVS INTERMITTENTIBVS IN PRÆSENTI ANNO EPIDEMICE GRASSANTIBVS;

QVAM

DEO T. O. M. DVCE ET AVSPICE,

RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,

REVERENDISSIMO ET AMPLISSIMO DOMINO,

DN. PLACIDO,

REGALIS MONASTERII S. S. APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI ORD. S. BENEDICTI INTRA ERFORDIAM ABBATE, PRÆPOSITVRÆ ZELLENSIS ET IN FRANCKERODA AD VVERRHAM DOMINO, S. FACVLT. THEOLOG. ASSESSORE PRIMARO, ETC.

AVTORITATE ET DECRETO GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ IN PER-ANTIQVA HIERANA,

SVB PRÆSIDIO

LAVDATISSIMI ORDINIS MEDICI DOMINI DECANI ET SENIORIS

DN. D. JOH. ANDREÆ FISCHERI,

CONSIL. ET ARCHIATR. ELECT. MOGVNT. PATHOLOG. ATQVE PRAX. PROF. PVBL. PRIM. NEC NON MED. PROVINC. DVCAL. ISENAC.

PATRONI AC PROMOTORIS SVI COLENDISSIMI,

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES AC PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE OBTINENDI,

PVBLICÆ ERVDITORVM CENSVRÆ SVBMITTIT

AVTOR ET RESPONDENS

MAXIMILIANVS FLORVS ERSFELDT,

Wedano-Runkalienſis,

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVETIS.

DIE V. JVLII, A. R. S. M DCC XXVIII.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO DOMINO,

DOMINO

JOH. LVDOVICO ADOLPHO,

S. R. I.

COMITI DE WIEDT,

DOMINO RUNKALIÆ ET ISSENBVRGI,


PATRIÆ PATRI O. M.

COMITI AC DOMINO SVO PER QVAM CLEMENTI,

Levem huncce laborem Academicum, in monumentum perenne ſubjectiſſimi cultus, & ſubmiſſam ſui ſtudiorumque commendationem, cum perpetuæ felicitatis ſanitatisque voto pio, humillima obſervantia & debita ſubmiſſione

conſecrat atque dedicat

AVTOR.



PROŒMIVM.



Omine equidem in omni animantium genere & grege nil unquam dignius, nilque nobilius, ſed inſimul quoque nil infelicius ac miſerabilius; in hac rerum univerſitate vidit veneranda Antiquitas, videbitque ſera noſtra poſteritas. Licet enim inter creaturas hujus orbis animatas, ex divino mandato ac juſſu, primatum teneat, illasque ſingulas non ſolum formoſiſſimâ corporis ſtructurâ, ſed & inprimis generoſo mentis acumine & ſagacis rationis præſtantia, longe ſuperet, ſæpius tamen, ob cauſas utplurimum leviſſimas, utriusque hujus doni jacturam patitur, ubi tanta morborum phalanx, tot ſymptomatum myriades quotidie denſo ipſum circumſtant agmine, omnemque ſimul movent lapidem, ut ex proſpero tali ſtatu eum dejiciant, ac veram miſeriæ trutinam, morborum ludibrium, mortisque tandem victimam ex eo efficiant. Hinc nihil ſanè in rerum natura offendes, â quo corpus noſtrum non impetitur, laceratur, convellitur, diſcruciatur: Cælum & ſidera, elementa ad unum

omnia, quin ipsa etiam alimenta & potulenta, fragilem ejusdem mixtionem cæteroquin sustentantia, miro prorsus modo in extremam ejus perniciem conspirant, sicque ea fere omnia, quæ infelicem talem machinam vel produxerunt, vel ad exstruendam illam quicquam opis contulerunt, tandem quoque eandem iterum destruunt, corrumpunt, dissolvunt. Aer *enim sævo procellarum stridore, turbidis horridisque tempestatum mutationibus, densissimarum ac fœtidissimarum nebularum caligne, insolito calore aut rigido & boreali frigore;* Terra *cavernosis & vastissimis hiatibus, profundis voraginibus & terrificis speluncis, nil nisi pestiferum, putridum & quasi stygium aerem evomentibus;* Ignis, *inprimis subterraneus, clandestinis materiarum sulphureo-nitroso-arsenicalium incendiis & hinc dependentibus perniciosissimis exhalationibus & aeris infectionibus;* Aqua *tandem inundationibus aut collectionibus insolitis, stagna, lacus & paludes undiquaque efformantibus & vapores postmodum adversissimos emittentibus, ordinarie innumeris modis integritati & sanitati animalis nostræ œconomiæ insidiantur, eique certissimam perniciem minantur.*

Ast hæc omnia, licet sontica satis admodumque gravia existant, vix tamen satis malorum in genus humanum conferre â plerisque æstimantur; hinc homines ipsi, quod invitus dico, ultrô nefando prorsus modo in proprium sæviunt corpus, illudque utpote per se jam satis debile & invalidum, vesanis libidinibus, diurnis & nocturnis commessationibus aliisque pluribus turpissimis vitiis, usque adeo concutiunt, ut tandem necessario in omne genus morborum præcipitetur, quos quidem speciatim jam recensere nec instituti ratio, nec chartæ angustia permittit; unicam autem & quidem frequen-

quentissimam quandam speciem, quæ utplurimum genuina intemperantiæ soboles est, Febres *nimirum* intermittentes, *exempli loco adduxisse sufficiet; hæ enim, quoniam* vernali hactenus tempore *ob perturbatam forsitan victus rationem admodum frequentes extitere, & ob aeris ac tempestatis singularem constitutionem pravam, insimul* epidemicè afflixerunt, quin imo adhuc grassantur, *dignæ utique mihi visæ sunt, ut loco speciminis inauguralis paulò diffusiori stylo explanatæ sistantur. Annuat igitur divinum Numen huic proposito, ut omnia feliciter & ex voto eveniant!*

SECTIO I.
HISTORIAM HARUM FEBRIUM TRADIT.

§. I.

HActenus equidem *Febres intermittentes* cujusvis speciei multi attente non minus quam curiose considerarunt & explicarunt; ast, quoniam haud raro exercitatissimi etiam Practici, ob nimis mutabilem illarum indolem, & admodum variabilem symptomatum in iis occurrentium conditionem, nec non medicamentorum tunc propinatorum modo admodum debilem, modo prorsus irregularem operationem, sæpissime in labyrinthum fere inextricabilem inducuntur, quaque ratione tandem ex angustiis istis se explicare debeant, haud invenire possunt, quale quid inprimis tunc contingit, quando ejusmodi febres ad indolem *malignarum* paulo propius accedunt, aut ad minimum

larvam talium præ ſe ferunt, atque *epidemice* graſſando, multos non ſolum uno eodemque tempore invadunt homines, ſed & ob connexa, quæ illas ordinarie comitantur, inſolita pathemata, in plurimis ſi non lethalem, ſaltem valde periculoſum & tædioſum ſortiuntur exitum; hinc minime injuſte me facturum eſſe arbitror, ſi hoc præprimis tempore, quo tales intermittentes febres ob *epidemicam* ejusmodi graſſationem diverſis regionibus & civitatibus moleſtiores evadere ſveverunt, paulo intimius in illarum indolem & genium inquirere annitar, demonſtraturus nempe, qua ratione ordinarie ſubjecta iſta affligant, qualemque ſub his circumſtantiis tractationem therapevticam admittant vel reſpuant.

§. II.

Quod enim in urbis incendio de jure fieri debet, ipſaque neceſſitas per ſe requirit, ut ad extinguendum ignem omnes concurrant cives, atque unitis viribus præſenti tali periculo ſe ſe opponant; illud ſane vagantibus paſſim morbis Epidemicis à Medicis pariter fieri deberet, ut ad cohibendam illorum ferociam conferrent quoque omnes, tanto magis ſi intricati & complicati illi extiterint & ad modum *febrium intermittentium*, de quibus ſpeciatim nunc agere conſtitutum eſt, nova indies ac ſemper fere graviora ſymptomata formaverint, ſicque Hydram quaſi Lernæam æmulentur, cujus ſi capita aliquot reſecueris, ſtatim eodem momento totidem renaſcuntur, adeo, ut altero quaſi opus ſit Hercule, qui, ut hanc ſagittis & igne in palude, ſic & illa medicamentis generoſioribus & efficacioribus deſtruat atque

remo-

removeat. Hinc in tali malo averruncando Medicos oportet toto die eſſe occupatos, præprimis cum experientia ſæpius teſtetur illos ὕδραν τέμνειν, h. e. incommodum unum tollere pluribus ſtatim ejus in locum ſuccedentibus, aut Siſyphi ſaxum volvere & in remotione ſymptomatum quotidie recrudeſcentium utplurimum operam oleumque perdere, niſi pertinaciſſimos iſtos affectus tam quoad ſigna modumque invadendi, quam quoad cauſas & primam illorum originem exacte indagaverint ſuamque juxta has circumſtantias Therapiam rite adornaverint.

§. III.

Febres igitur generatim ſumtas ordinarie ad tres in univerſum claſſes, in ſcholis Medicorum, redigi, notum, imo notiſſimum eſt; prima harum eſt *continentium*, quæ nec intermittunt, nec remittunt, ſed uno eodemque gradu per plures dies continuant, donec in totum iterum evaneſcant; altera eſt *continuarum*, quæ, licet nunquam plenariam intermiſſionem habeant, tamen ſtatas & determinatas remiſſiones ſimileſque exacerbationes exhibent, adeoque interdum ad minimum ægrotantes ſuos mitius affligunt; tertia denique eſt *intermittentium*, quæ admodum ſenſibilia intervalla vacua habent, atque periodice ſemper deſinunt redeuntque, ut patientes interim ad orthoſtadiam qualemcunque redire queant. Hæ autem ſingulæ ordinarium & conſvetum ſuum typum non ſemper ita exacte ſervant & obſervant, ſed ſæpius inter ſe vel complicantur, vel certo reſpectu deteriorantur, ita ut benigniores & mitiores ſpecies typum vel ſaltem larvam maligniorum & magis

acuta-

acutarum febrium assumant, iisque si non quoad omnes circumstantias, tamen ad minimum quoad *oriendi* & inprimis *grassandi modum* sese assimilent, quale quid speciatim in *febribus intermittentibus* ordinarie quidem *sporadice*, interdum tamen etiam *epidemice* (prout hactenus quoque passim factum est,) grassantibus atque continuas quodammodo æmulantibus, sæpissime observare licet.

§. IV.

Cum vero ultimam febrium classem, quas vulgo *intermittentes* vocant, præsens hæc Dissertatio maxime respiciat, hinc ante omnia brevibus adhuc notandum esse duco, quod earundem variæ, quoad *tempus exacerbationis*, in Praxi observentur species, vulgatæ pariter ac rariores, frequentes ac infrequentes: Priores constituunt ordinarie *quotidiana* quæ omni die, *tertiana*, quæ tertio semper & *quartana*, quæ quarto die recurrit ac exacerbationes suas format; & hæ sunt etiam illæ species, de quibus proprie hic loci acturus earumque epidemicam grassationem demonstraturus sum: Ad posteriores vero referuntur *quintana*, quam ZAC. LVSITANVS *Medic. princ. Hist. Lib. IV. Hist. 37. Observ. 732.* TVLPIVS *Lib. III. Observat. cap. 52.* & DETHARDINGIVS *in Append. ad Cent. I. & II. Ephemer. N. C. pag. 196.* observarunt; *sextana*, quam JOS. LANZONI in *M. N. C. Cent. VIII. Obs. X.* *septena* quam RHODIVS *Cent. I. Obs. 18.* descripserunt; *octana*, quæ à SALMVTHO *Cent. III. Obs. 13.* HAGENDORNIO *Cent. II. Hist. 57. pag. 232.* RHODIO *Cent. I. Obs. 18.* SCHVLTZIO in *M. N. C. Dec. I. Ann. IV. Observ. 70.* recensita prostat; *nonana*, de qua

SCHEN-

SCHENCKIUS *Lib. VI. Observ. de febr.* varia allegavit exempla, & *decimana* cujus ZACUTUS LUSIT. *Prax. admir. Lib. III. Obs. 34.* mentionem facit, quas vero omnes & singulas species, velut rarissime occurrentes, & sub hac epidemica grassatione nunquam observatas, merito nunc omittimus.

§. V.

Proinde etiam tales febres intermittentes inter se differunt quoad *typum* atque *recursum paroxysmorum*, qui quidem regulariter simplices tantum sunt & statas suas periodos exacte observant, interdum autem extraordinario modo vel duplicantur, vel (quod tamen rarius evenit,) etiam triplicantur, adeoque irregularem formant typum, febresque ejusdem quidem speciei, sed diversæ indolis sistunt. Sic *quotidianæ* quandoque redduntur irregulares, si nimirum loco unici & simplicis, quolibet die duplicem vel etiam triplicem paroxysmum experiuntur ægrotantes; sic etiam *tertianæ* modo *duplices*, modo *duplicatæ*, pari fere ratione oriuntur, *duplices* nempe, quando tertio quolibet die duo paroxysmi occurrunt, diebus autem intercalaribus ægroti semper iterum ad orthostadiam redeunt; *duplicatæ* è contra, quando tertia quavis die unicus quidem paroxysmus accidit, sed simul in intercalaribus diebus recurrit, ita tamen ut non ad modum quotidianarum, omnes tales paroxysmi inter se conveniant, sed tantum tertius primo, quartus secundo & quintus iterum tertio respondeat. Eodem modo res quoque sese habet cum *quartanis* duplicibus pariter ac duplicatis, ubi modo in die exacerbationis, finito vix uno paroxysmo statim alter su-

pervenit, & duo dies intercalares dein ſuccedunt, aut quando per duos dies ſemper febricitant ægrotantes, remanente tantum unico intercalari, & tunc ordinarie primi diei paroxyſmo reſpondet quartus, huic, ſeptimus, &c. qui vero ſecundo die occurrit, ſemper quinto, octavo undecimo, &c. recurrit, tertio interim, ſexto, nono & duodecimo à febre prorſus liberis exiſtentibus. De *Semitertiana febre* ſ. *Hemitritæo* quicquam monere haud opus erit, quoniam ſub eadem omni die quidem febricitant patientes, ſed tertio ſemper die duplicem experiuntur paroxyſmum, adeoque magis ad continuas ea referenda videtur; neque etiam *erraticarum febrium* ſingularem mentionem nunc injicere lubet, quoniam ſub his omnis generis & ſpeciei febres comprehenduntur, quæ ab ordinario typo nimium recedunt, atque ſpeciatim periodos & dies ſuas deſtinatas tam quoad recurſum, quam quoad durationem prorſus negligunt, adeoque non ad intermittentes ſolum, ſed & ad continuas febres referri poſſunt, quas tamen cum prioribus hac ratione confundere nec lubet, nec licet.

§. VI.

Tandem etiam, antequam ad recenſionem hiſtoriæ harum febrium preſſius me accingam, probe quoque obſervandam & commendandam eſſe duco diſtinctionem inter febres intermittentes *benignas*, *malignas* & *epidemicas*; licet enim non ſolum plerique veteres ſed & plures recentiores omnem febrem intermittentem, quamprimum illam deprehenderunt, ſtatim ab omni malignitate liberam pronunciaverint, &, falſo hoc præjudicio decepti, exiſtentiam talium maligna-

rum

rum febrium pleno pernegaverint ore, ſicque eas forſitan in praxi occurrentes vel non agnoverint, vel benignarum adinſtar tractaverint, eaque propter in ordinario ſuo prognoſtico quandoque decepti fuerint; tamen experientia, fide dignis modernorum quorundam autorum obſervationibus corroborata, aperte teſtatur, dari quandoque febres ex claſſe intermittentium, & ſpeciatim ex numero *tertianarum*, quibus, ob conjuncta accidentia benignis ejusdem cenſus febribus alias inſveta, deliria nempe, agrypniam pertinaciſſimam, cardialgiam, vertiginem, convulſiones, &c. merito *malignarum* titulus competat, quemadmodum tales brevibus Celeb. MATTH. BLAW *in Ephemer. Nat. Cur. Dec. III. An. 7. Obſ. 58.* & CAROL. RAYGER *Decur. III. Ann. III. Obſerv. 138.* tam explicite quam implicite delinearunt, fuſius autem Excell. D. D. CAMERARIUS in peculiari Diſſertatione *de Febre tertiana intermittente maligna*, An. 1692. Tubingæ publice ventilata, & Medici Wratislavienſes *Hiſtor. Morb. Wratislavienſ. Anni 1702. pag. 134. ſqq.* deſcripſerunt, ut propterea de vera ac reali illarum exiſtentia nullum amplius dubium ſupereſſe queat.

§. VII.

Quemadmodum autem *intermittentes malignæ* inprimis ab aliis conſimilibus ſpeciebus differunt *gravitate & acerbitate ſymptomatum* plane peregrinorum & in reliquis prorſus deficientium; ſic è contra *intermittentes epidemicæ* ab his malignis præcipue diſtinguuntur *modo & gradu invadendi*, dum non ſolum uno eodemque tempore plures homines in una eademque civitate, imo ſub uno eodemque tecto degentes afficiun-

tur, ſed &, in reſpectu ad malignas, mitiora ſymptomata inferunt, atque utplurimum citra periculum tandem decurrunt, niſi aliunde corporis vires jam jam vel ætate, vel à prægreſſo quodam morbo fractæ fuerint, ſicque morti januam aperuerint. Habent enim febres tales epidemice graſſantes utique contagium quoddam ſpecificum, licet illud non ſemper adeo manifeſte ſe prodat, ſed ea propter tamen non ſtatim malignæ ſunt, nec malignarum more plurimos ſuorum ægrotantium extinguunt, quoniam nunquam abſolute requiritur, ut omnis morbus epidemicus ſimul ſit malignus, aut quilibet malignus ſimul ſemper ſit epidemicus, quin poſſunt potius, uti in his febribus contingit, morbi quidam populares interdum eodem modo à malignitate liberi eſſe, quo alii exacte maligni quandoque contagio vacant, qui, licet hunc vel illum cum graviſſimis ſymptomatibus, quæ ipſa etiam mors ſæpiſſime excipit, affligant, tamen alios tali tempore plane non inficiunt, ſed in ſubjectis ſingularibus tantum ſubſiſtunt.

§. VIII.

Solent igitur febres noſtræ epidemicæ ordinarie omnes indiſtincte cujuscunque ætatis, ſexus & conſtitutionis homines, nullo prorſus ad hanc ultimam habito reſpectu, an ea bona, an vero mala ſit corripere, inprimis autem illos, qui in eadem domo, eodem contubernio, eodem ſæpe lecto utuntur, & quidem ita, ut ad præcavendas illas, purgationes aut V. Snes præſervatoriæ inſtitutæ utplurimum nihil profuerint, quin interdum priores, ſi paulo fortiores extiterint, febres tales eo magis accelerant, aut jam præſentes magis exacerbant,

bant, quoniam forsitan extraordinariæ illæ humorum commotiones subjecta ad recipiendum illud contagium seu μίασμα febrile aptiora reddiderunt. Antequam autem ægrotantes revera febricitare incipiunt, persentiscunt ordinarie insolitam totius corporis lassitudinem & membrorum gravitatem, agrypniam fere continuam, capitis dolorem gravativum magis quam punctorium aut lancinatorium, unacum spasticis in cervice maxime & scapulis occurrentibus tensionibus, quæ tamen signa non semper & in omnibus occurrunt subjectis, sed in quibusdam, licet rarius, prorsus defecerunt, ita ut derepente & nihil minus metuentes interdum à febribus istis correpta fuerint.

§. IX.

Quod ipsos dein paroxysmos febriles attinet, tales incipiunt ordinarie cum frigore ad unam alteramve horam, raro diutius, durante, ægrosque admodum moleste afficiente, adeoque valde discrepant à paroxysmis aliarum hujus speciei febrium epidemicarum, quorum accessiones cum calore statim, eoque intensissimo, factas, ægrosque in principio rarissime vel nunquam de horrore vel frigore quodam conquestos fuisse referunt WILLISIUS *Lib. de Febribus cap. 3.* & MEIBOMIUS *in Dissert. de Febribus intermittentibus epidemicis §. 12.* Succedunt dein utplurimum aut concurrunt, durante adhuc frigore, ructus copiosi, anxii vomendi conatus, quin actuales tandem vomitus, modo pituitosi, modo aquosi, modo biliosi, semper tamen subacidi aut acerbi, satis copiosi & frequentes ægrosque misere simul torquentes, præprimis quoniam, facta excussione saburræ præsentis

 bilio-

biliosæ, aliarumque impuritatum, nihilominus etiam in proximis paroxysmis ægrotantes ad inanem hunc concussorium motum concitantur. Speciatim vero & crebriores & molestiores ordinarie evadunt tales vomitus in tertianis febribus, ita tamen, ut procedente tempore, v. g. post tertium, quartum, vel quintum paroxysmum, mitiores fiant, atque solum in principio caloris subsequentis adhuc occurrant, tandem penitus evanescant, nisi forsitan ob errorem in diæta brevi ante paroxysmum commissum, aut nimiam ventriculi sensibilitatem, de novo redeant, & tunc communiter usque ad morbi finem & exitum durant.

§. X.

De reliquis symptomatibus non opus erit, ut multa adducam, quoniam horum intuitu febres hæ epidemicæ parum vel nihil ab ordinariis intermittentibus discrepant, nisi quod singula illa hoc tempore plerumque paulò acerbiora extiterint, ipsæque febres facilius, quam alias, in continuarum typum inclanaverint, id quod inprimis ex eo admodum manifeste apparebat, quoniam consuetum suum tempus exacerbationis sæpissime ad duas pluresve horas anticipabant, æstuque longe graviore ac diuturniore, quam quidem ordinarie observatur, affligebant, ita, ut etiam vacuis diebus perfecta ne quidem persentisceretur ἀπυρεξία, sed semper calor quidam præternaturalis & pulsus justo frequentior, usque ad novi cujusdam paroxysmi accessum, remaneret.

§. XI.

Inprimis autem ægri sub qualibet statim invasione

ne de nulla re magis conqueruntur, quam de cardialgia admodum molesta, ipsos dolore modo gravativo & pressorio, modo tensorio & spastico, modo etiam urente ac rosivo, affligente, qui quidem post unum alterumve vomitum in tantum remittere, rarius autem vel nunquam plane & in totum iterum evanescere, sed superatis jam jam paroxysmis in ipsis diebus vacuis, præprimis post assumtum levissimum cibum indesinenter continuare, aut post brevissima intervalla redire assolet. Proinde concurrit etiam, sub æstu maxime, capitis dolor, modo levior & saltem obtusus atque gravativus, modo vehementior, acutus & pulsatilis, imo sæpe adeo immanis, ut nullis remediis cedens, per totum exacerbationis tempus ægros miserrime excruciet, atque non unam semper, sed varias subinde capitis regiones affligat; cessante autem paroxysmo plerumque iterum remittit, & extra illum rarius recurrit, nisi interdum horis matutinis, aut post assumtum qualemcunque cibum. Adsunt porro etiam vigiliæ & agrypniæ, præprimis in subjectis junioribus, quæ utplurimum noctes dierum exacerbationis magis turbulentas & insomnes experiuntur, quam dierum intermissionis. In quartanis autem, adultiora præcipue aut magis senilia corpora affligentibus, non tam de nimiis ejusmodi vigiliis ægrotantes conqueruntur, quam potius de somnolentia mox cum paroxysmis ingruente, viresque ob turbulentam suam indolem magis dejiciente, quam restaurante, nec unquam prius, nisi post plenarie finitum paroxysmum, iterum cedente, interdum vero in blandum somnum, qui semper melior

est

eſt, & ſudorem, inſolitum quidem in hac febrium ſpecie, ſed ægrotis admodum proficuum eosque eximie ſublevantem, deſinente.

§. XII.

Præterea perſentiſcunt etiam ægrotantes dolorem moleſtum ſpaſticum & tenſivum, qui plerumque â nucha incipiens & deorſum protenſus, totam ſpinæ dorſalis longitudinem graviter afficit, quin imo in ipſos etiam artus, pedes inprimis & ſuras, excurrit, atque tam ſub frigore, quam etiam remittente æſtu, atrociori ſemper gradu ſeſe exſerit. Tandem occurrit quoque in plurimis febricitantibus, maxime ſub initium cujuslibet paroxyſmi, ſapor quidam ſumme adverſus & nauſeoſus, qui diu interdum durat, & non raro poſt febres jam jam perfecte ſuperatas adhuc pertinaciter, non ſine metu recidivæ, continuat, donec tandem poſt diuturniorem moram ſucceſſive iterum evaneſcat. De reliquis autem ſymptomatibus, nempe alvi modo adſtrictione, modo inſolita fluiditate, oris nimia ſiccitate, ſiti ferè intolerabili, &c. nihil jam dicam, quoniam notiſſima ſunt, atque eadem prorſus ratione, qua in aliis intermittentibus febribus ordinarie occurrunt, etiam his epidemicis ſolennia fuerunt. Sic etiam de *typis* harum febrium nihil plane ulterius monendum habeo, niſi, quod, ut ſupra dictum eſt, plerunque quotidianas & tertianas, hasque tam ſimplices quam duplices & duplicatas, interdum etiam quartanas ſiſtant, atque hæ ultimæ haud raro in tertianas plenarie abeant, vel ad minimum plurima earundem ſymptomata & univerſum quaſi genium aſſumant, & quidem citra ullum

vel

vel in diæta ab ægro, vel circa therapiam â Medico commissum errorem; quæ tamen omnia nihil impediunt, quo minus tales febres etiam tunc eadem cum pertinacia, qua alias solent, pariter continuent, atque non nisi post plurium hebdomadum decursum & satis heroicorum remediorum usum perfecte iterum profligari queant.

SECTIO II.

ÆTIOLOGIAM ET PROGNOSIN HARUM FEBRIUM EXHIBET.

§. I.

TRaditis nunc *signis* ad *historiam* harum febrium præcipue spectantibus, ordinis & instituti ratio nunc postulat, ut ad enumerationem *causarum* progrediar, & genuinam illarum originem, secundum fundamenta pathologica, nunc eruere annitar; non quidem omnia, quæ de febribus intermittentibus in genere dici possunt, atque in vulgus fere jam cognita sunt adducendo, sed solummodo, quæ *epidemicis* hisce magis solennia & peculiaria sunt, justo ordine atque concinna brevitate exhibendo. Non immerito autem statim inter initia hujus tractationis movebitur quæstio, an hæ febres, aliàs semper inter benigniores relatæ, ad modum aliorum malignorum morborum, itidem *contagiosæ* sint, quoniam, si contagio carerent, vix concipi posset, qua ratione tales *epidemicæ* fieri queant? De ultimo enim hoc asserto nemo fortasse dubitabit, quoniam experientia aliena pariter ac propria

 no-

noſtra illud jam ſatis manifeſtum reddidit atque ſæpius confirmavit, ſiquidem Celeb. SENNERTUS *Lib. II. de Febr. cap. 20.* ſpeciatim *quartanas* deſcribit febres, quæ Anno 1616. toti Germaniæ fuerint epidemicæ, & Wittebergæ inprimis adeo familiares, ut etiam modo natos corripuerint infantes, & vix domus aliqua extiterit, in qua non quartanarius, modo unicus, modo plures decumberent. Sic etiam Excell. MEIBOMIUS *in Diſſ. alleg.* non ſolum *febres intermittentes* An. 1678. paſſim Germaniam epidemice affligentes accuratiſſime deſcribit, ſed & *§. 8. tertianarum epidemicarum* mentionem facit, quæ An. 1666. *Guelferbyti* inprimis plus quam dimidiam partem hominum corripuere, quales etiam Celeb. GRÜNDELIUS *in M.N.C. Decur. II. An. VI. Obſ. 148.* recenſet, quod Anno 1687. per totam Stiriam adeo graſſatæ fuerint, ut ſolummodo in Metropoli Grætz, ex quatuor mille ægrotantibus, qui tunc ſimul in unico menſe decumbebant, *plurimi* ſimilibus febribus, pauci continuis & pauciſſimi aliis morbis laboraverint. Taceo intermittentes itidem hoc anno à Martio Menſe ad hunc usque diem paſſim in Germania epidemice graſſantes, quippe quæ occaſionem præcipuam mihi ſuppeditarunt, ut, quæ de illarum natura & curandi ratione hactenus obſervare licuit, nunc loco inauguralis Diſſertationis exponere decreverim.

§. II.

Quod vero intermittentes febres interdum quoque *contagioſæ* ſint aut fieri queant, hactenus quidem pauciſſimi credere, atque idcirco etiam ægrotos ab iis correptos pariter, ut in aliis morbis per contagium ſeſe com-

communicantibus fieri ſolet, vitare noluerunt; ſed experientia itidem exacte demonſtravit, quod revera etiam in his tale adſit contagium, licet illud non ſemper æque manifeſto ſeſe prodat, nec propterea adeo prompte inficiant tales febres, quam quidem peſtilentes & aliæ malignæ faciunt. Teſtantur enim ſupra citati Autores, quod ſub epidemica iſta graſſatione, ii inprimis ſtatim â febribus iſtis intermittentibus correpti fuerint, qui ægrotis miniſtrarunt & propius cum ipſis commercium habuerunt, quale quid etiam hoc noſtro tempore ab iisdem febribus, quas hactenus deſcripſi, paſſim factum eſt, ut propterea non immerito cum Celeb. NEVCRANTZIO *in Tr. de Purpura cap. V. pag. 54.* febres intermittentes tunc demum ſemper propriam contagii eſſentiam conjunctam gerere ſentiam, quando nimirum *Epidemicæ* factæ ſunt.

§. III.

Eo ipſo vero, dum febres haſce *contagioſas* eſſe demonſtro, non lubet inſimul aſſerere, quod & inſuper *malignæ* ſint. Etenim *malignum eſſe* & *contagioſum eſſe* non ſemper ſimul uni eidemque ſpeciei febrium competit, nec in omnibus conjunctim occurrit, ſed ſecundum diverſitatem circumſtantiarum, maxime tempeſtatis & anni temporum, modo hoc, modo illud adeſt pariter ac abeſt; ſic in malignis petechialibus, quando epidemice non graſſantur, ſæpiſſime nullum prorſus contagium obſervatur, licet cum graviſſimis ſymptomatibus ægrotantes affligant; ſic etiam graviſſimæ lethalesque alias dyſenteriæ itidem non omni tempore contagioſæ obſervatæ fuerunt, ſed ſæpiſſime tantum

ſporadice graſſari obſervantur, licet illæ haud poſtremum in claſſe malignarum febrium obtineant locum. Pari quoque ratione res ſeſe habet cum intermittentibus epidemicis, quæ tunc quidem, quando ita graſſantur, utique ſimul *contagioſæ*, minime vero propterea ſemper *malignæ* exiſtunt; interim tamen haud nego, quod dentur etiam *febres intermittentes malignæ*, ſatis periculoſæ à ſpecifico tamen *contagio* liberæ, quarum hiſtorias Doctiſſ. MORÆVS magno numero in peculiari tractatu congeſſit, quibusque propterea accenſeri merentur obſervationes Celeb. SCHWALLERI *in M. N. C. Decur. III. An. V. & VI. pag. 118.* ZACVTI LVSITANI *in Hiſtor. Med. Princ. Lib. IV. Hiſt. 30. pag. 717.* ut & ſingulæ illæ, quæ jam in *§. VI. Sect. I.* hujus Diſſert. recenſitæ proſtant; ſed de iis hic loci fuſius agere non placet, quoniam tantum intermittentes benignas, quæ certis typis, manifeſta & evidenti ἀπυρεξία ægrotantes affligunt, ſpecialius pertractare conſtitutum eſt.

§. IV.

Harum igitur primariam & principalem cauſam conſtituit ordinarie μίασμα quoddam ſpecificum, ſubtile & fermentativum ab aere, cujus diverſæ qualitates illud quoque diverſimode alterare ſolent, corpori ejusque humoribus communicatum, quod dein principium noſtrum vitale, tanquam peregrinum & ad diſſolutionem mixtionis partium tam fluidarum quam ſolidarum valde pronum ſubjectum, extraordinariis iſtis motuum febrilium gradibus iterum removere atque ejicere tentat. Per aeris enim anomalias magnasque tempeſtatum mutationes etiam corpus noſtrum & humores

mores in ipſo contentos magnas inſimul pati alterationes ac ſenſim ſenſimque ad varii generis morbos diſponi, manifeſtiſſimum eſt; tanto magis autem tale quid evenire poteſt, ſi in aere inſimul principia multa halituoſa & orgaſtica ad excitandum motum fermentativo-putrefactorium maxime diſpoſita continentur & ſucceſſive ſingulis corporis noſtri partibus communicantur.

§. V.

Hanc ipſam vero noſtram ſententiam de miaſmate quodam ſingulari febres tales præcipue excitante, demonſtrant atque corroborant maxime ſequentes ex ipſarum hiſtoria depromtæ circumſtantiæ; quod nimirum 1) ingens illorum hominum occurrat numerus, qui tempore talis Epidemicæ conſtitutionis toti ſani, nullumque inſolitum pathema antea experti, derepente febribus hiſce corripiuntur, quale quid alias contingere haud poſſet, niſi extrinſecus quicquam communicatum & intra corpus ſaniſſimum receptum eſſet, quod ejus œconomiam ita vehementer perturbare valet; quod dein 2) frequentiſſime tam in primo febris acceſſu, quam declinatione, circa labia aut nares in ægrotantibus puſtulæ quædam & exulcerationes ſuperficiales erumpant, quibus febres iſtæ utplurimum vel perfecte ſolvuntur, vel notabiliter ſaltem imminuuntur, evidenti ſane teſtimonio, quod fermentum iſtud peregrinum, ſanguinem hactenus turbans, in partibus mollioribus nunc erumpat & acrimonia ſua ibidem eroſionem quandam producat puſtulasque in labiis excitet, & ſic conſequenter facta ejusdem exterminatione omnia

 iterum

iterum aboliantur ſymptomata & priſtina redeat ſanitas; 3) quoniam ipſa experientia aperte teſtatur, quod ejusmodi febres non ſolum ab aere impuro atque pauluſtri facillime excitari, ſed & mutatione aeris iterum profligari queant, confirmantibus id ipſum obſervationibus in *M. N. C. Dec. II. An. VII. pag. 414. & Dec. III. An. VII. & VIII. pag. 39.* 4) quoniam ſingula illa medicamenta, quæ alias maligna miasmata in febribus epidemicis ex maſſa humorum eliminant, diapnoica nempe & alexipharmaca, quin ipſa interdum veſicatoria, majorem ſemper utilitatem afferunt, quam reliqua in febribus intermittentibus alias ſolennia evacuantia, tam emetica quam cathartica, quod evidentiſſimum ſane eſt teſtimonium latitantis magis intra humores, quam in primis viis, adeoque magis ab aere, quam aliunde communicati cujusdam miaſmatis ſpecifici.

§. VI.

Quod *cauſas antecedentes* atque iniquam & pravam iſtam conſtitutionem aeri conciliantes attinet, primatum utique jure meritoque inter illas tenet *tepidior hyemis conſtitutio*, quæ impedit, quo minus exhalationes tempore æſtivo & autumnali copioſius è ſentinis, paludibus & cœnoſis ſpecubus aſcendentes, atque diutius in aere obhæreſcentes atque oberrantes, mediante frigore acerbiori quadantenus corrigi aut penitus iterum inde auferri queant; hinc ſuccedente calore vernali tales dein non ſolum in pernicioſa ſua activitate magis exaltantur, atque ob auctiorem in corporibus humanis tunc ſuccedentem tranſpirationem ſimul commodiſſimam nanciſcuntur occaſionem, per ſubtiliſſimos cutis

poros

poros aliasque vias insensibiles sese successive M. Seæ insinuandi atque insigniores istas turbas in eadem excitandi. Ejusdem activitatis sunt quoque *procellæ* & impetuosiores ventosæ tempestates, quibus è longinquo interdum asportatur ejusmodi perniciosum miasma atque aer noster atmosphæricus perversa quadam aura inquinatur. Nec omittenda etiam est *pluviosa aeris constitutio* & frequentiores *nebulæ*, quæ non solum illum ad diutius retinendum tale miasma magis disponunt, sed & majorem humorum cacochymiam producunt, sicque viam faciliorem pro introducendis molestissimis hisce febribus pandunt. An vero etiam *nimia fertilitas terræ*, prout juxta Celeb. GRÜNDELII relationem in *M. N. C. Dec. II. Ao. VI. Obs. 148.* de similibus febribus Ao. 1687. in Stiria grassantibus quidam crediderunt, inprimis autem Bachi liberalitas ac nimia vini abundantia, & quæ immediatè hanc excipit, copiosior ejusdem ingestio, quicquam ad producendas has febres contribuat non quidem ita absolute asserendum, sed insimul etiam minime in totum negandum esse censeo. Interim reliquas ordinarias febrium intermittentium causas hic loci minime excludo, utpote quæ præter hactenus recensitas suum quoque ad excitandas tales febres epidemicas conferunt symbolum; quoniam vero illæ ad nauseam fere jamjam cognitæ sunt, hinc lubens nunc specialiori earum recensione supersedeo.

§. VII.

In *Prognosi* equidem inexperti ab his febribus communiter propter vehementiora illarum symptomata & diuturniores paroxysmos, multum periculi metuunt,

sed

ſed periti Medici in eo cum ipſis haud conſentiunt, probe nempe gnari, quod omnes febres, quæ ἀπυρεξίαν veram habent, minus periculoſæ ſint continuis atque malignis. Hoc tamen non obſtante utique ſæpius contingit, ut alios quoque morbos inducant hæ febres, quæ interdum etiam lethales fiunt, idque partim ob malam conſtitutionem & nimis depravatam humorum diatheſin in ægrotantibus, vel ob eorundem errores & immorigeram indolem, vel denique ob ipſam medicantium culpam, quando nempe illi ſpecificis & febrifugis ſuis paroxyſmos quocunque tantum modo, citra prægreſſam miasmatis peregrini exterminationem, ſiſtunt; tunc enim tales febres ordinarie vel Cachexiam, vel Scorbutum, vel Hecticam, vel Hydropem aliaque plura ſontica mala poſt ſe relinquunt, id quod ſæpiſſime etiam accidit, ſi nimis diu toleratæ & habituales jamjam redditæ fuerunt, quippe quæ tandem, niſi convenienter removeantur, in ſimiles funeſtos affectus deſinunt.

Sectio III.

THERAPIAM HARVM FEBRIVM SISTIT.

§. I.

QUoniam per experientiam ſatis jamjam liquet, quod febres intermittentes in genere ſi ſibi relinquantur, atque homines de cætero ſanos adoriantur, rariſſime lethales evadant, ſed ſæpius ſua ſponte, poſt aliquot dierum intervallum iterum deſinant, imo quoniam & noſtræ epidemicæ ſimili fere modo ſeſe geſſerunt, atque ratione eventus ſic ſatis benignas

ſeſe

ſeſe exhibuerunt, hinc non immerito feliciores judico illos ægrotantes, qui nullo prorſus Medico utuntur, præ illis, qui in manus imperiti incidunt Empirici, qui omiſſa conſideratione conſtitutionis ſubjectorum, nullaque habita ratione motuum ſalutarium Naturæ contra noxiam extranei iſtius fermenti activitatem directorum, unice medicamentis ſuis ita dictis antifebrilibus contra paroxyſmum pugnant atque hoc ſublato, febres quoque rite curatas eſſe ſibi imaginantur: Sunt enim hæ Febres nil niſi *complexus motuum auctiorum ſe & excretoriorum, modo ſingulis diebus, modo etiam tertio aut quarto quovis die ſeſe exacerbantium, quibuscum Natura partim peregrinum quoddam in M. S. oberrans ejusque mixtionem valde depravans miasma, partim etiam materiam quandam mucidam & viſcidam circa primas vias hærentem, debite corrigere & ſucceſſive iterum eliminare intendit;* & hinc apparet, quod tanto minus conſultum ſit, illas ita temere opprimere & ſupprimere velle, niſi antea ſalutari huic intentioni Naturæ in omnibus ſatisfactum fuiſſe liquidò appareat.

§. II.

Quo igitur Theoriæ harum febrium hactenus propoſitæ *Therapia* debite accommodetur, methodusque conveniens easdem cito pariter ac tuto profligandi eo facilius adornetur, ſequentes inprimis *Indicationes* eidem fundamenti loco ſubſternendas eſſe judico: I.) *Ut miasma peregrinum humoribus communicatum quantocyus in noxia ſua activitate infringatur, corrigatur, & quantum poſſibile eſt, removeatur;* II.) *Ut Materia in primis viis obhæreſcens debite abſtergatur;* III.) *Ut ſymptomata urgen-*

 tio-

tiora mitigentur & motus febriles excedentes temperentur.

§. III.

Quoad *primam indicationem* utique opus eſt, ut ſtatim in initiis harum febrium per convenientia medicamina fermenti iſtius ſubtilioris ἐνέργεια tollatur, illudque ita præparetur, ut poſtmodum tanto facilius majorique cum εὐφορία penitus evacuari queat; faciunt hoc inprimis abſorbentia teneriora cum acidis ſaturata & cum diapnoicis fixis atque ⊖ibus mediis maritata, & vel diebus vacuis, vel ante novi paroxyſmi acceſſum propinata, v. g. ℞. Oc. ♋ citrat. Matr. perl. ppt. ♁ii diaph. ana ℥i. Arcan. dupl. ♀i ⊕lat. ana ℈ij. ⊖is Abſynth. ℈j. M. F. pulvis div. in xiij. p. æ. D. S. Corrig nde Fieber-Pulver, davon vor dem Paroxyſmo alle 3. Stun n eins, oder auf den guten Tag allezeit 3. mit Bier zu nehmen. Similem virtutem habent etiam Infuſa vinoſa ex antiſco..ticis, amaris ac reſolventibus præparata, præprimis in quartanis, eodem modo exhibenda, interpoſita ſimul una alterave doſi priorum pulverum circa veſperam dierum vacuorum. Nec omittendæ etiam ſunt, maxime in ſubjectis ſeroſioribus Mixturæ ex TRa ♀i Eſſ.Succin. Gent. r. Pimp. alb. bis per diem ad gtt. xxxvj. propinandæ. Excluſionem autem miaſmatis ſubtilioris præ omnibus aliis facillime & optime adjuvant diapnoica & temperata alexipharmaca, quippe quorum effectus in his febrium ſpeciebus nunquam non exoptatiſſimus fuit, quoniam ipſa experientia abunde jam docuit, quod continuantibus & in ipſis diebus vacuis ſponte ac ſatis copioſe prorumpentibus ſudoribus ægroti ſemper melius ſe ſe habuerint, quam ſub eorum defectu. Exhibenda autem ſunt ejusmodi alexipharmaca, ſub quibus ſpeciatim Eſſ. alexiph. Halenſ. TRam bezoard. Wed. ſine camph. nec non TRam bez. Mich. it. potiones cum pulveribus ex diaphoreticis fixis paratas intelligimus, circa finem paroxyſmorum & ſub veſperam dierum exacerbationis, tunc enim ſangui-

nem

nem non nimium commovent, & tamen quicquid in eo eſt heterogenei fermenti, egregie expellunt. V. Sio pro obtinendo hoc fine non æque abſolute neceſſaria eſt, quoniam per eam minor tantum hujus fermenti quantitas excludi poteſt, & quidem modo quodam prorſus inadæquato; interim tamen propterea non penitus rejicienda, ſed interdum ad minimum præſervatorie adminiſtranda eſt, ſi nimirum corpora ſint juvenilia, plethorica & calidioris conſtitutionis, quoniam ſuborientem alias ſanguinis orgaſmum tanto certius præcavet, ac excluſionem fermenti poſtmodum eo magis facilitat.

§. IV.

Secundam indicationem præ reliquis commodiſſime abſolvunt digeſtiva & abſtergentia, maxime autem ⊖ia media amara, in pulveribus, absque terreorum & abſorbentium admixtione, itidem in diebus vacuis, una alterave hora ante vel poſt paſtum exhibenda, interpoſitis ſimul Eſſentiis ſtomachicis amaris, aut Infuſis antiſcorbuticis ſupra allegatis. Purgantium autem & vomitoriorum uſum indiſcretum penitus disſuademus, quoniam ob inſignem humorum commotionem, quam ordinarie excitant, ſimul fermenti iſtius ſubtilioris ἐνέργειαν exaltant, febresque deteriores magis reddunt; proſtant enim exempla ſat numeroſa illorum, qui licet valide purgaverint & bilem ac pituitam in notabili copia rejecerint, tamen poſtmodum febres non ſolum eadem aut majori ſymptomatum vehementia redeuntes, ſed & interdum paroxyſmos ſuos duplicantes, experti fuerunt. Hinc, ſi nimia impuritatum in primis viis collectarum ſaburra ejusmodi artificiales excretiones abſolute requirat, per temperatiora potius quam draſtica hujus generis medicamenta illas inſtituere conſultum duco, atque ſic quidem hoc nomine vel ♀um Emet. Mynſ. correct. ad gr. ij. vel pulv. laxativum vegetab. Wed. aut ⊖ Epſon. diebus intermediis exhiberi poterunt.

§. V.

Quod *tertiam* attinet *indicationem*, ea inprimis nimios

illos

illos ſed ſæpiſſime vanos & vacuos vomitus ſpontaneos, nimiumque æſtum concernit, quoniam hæcce ſymptomata præ omnibus aliis ægrotos ordinarie vehementiſſime affligunt, & ad reliquorum exacerbationem principalem occaſionem ſuppeditant. Ad vomitus igitur compeſcendos & mitigandos, ſi tales ultra modum continuent nihilque prorſus exturbent, præter pulveres digeſtivos ante paroxyſmum aliquoties exhibendos, optime conducunt Cort. Caſcar. Spec. de Hyacinth. Corall. r. præpar. & Cryſtall. mont. præparat. in pulvere, nec non Eſſ. Gent. rubr. Cort. ⊖ant. Caſcar. TRa ⊕li ♂tis Ludov. Eſſ. Abſ. Comp. &c. in Mixturis tam ſub paroxyſmo, frigoris tempore, quam in diebus vacuis propinandæ, cavendo inſimul, ne ægri tunc potulenta vel nimis frigida, vel nimis etiam copioſa ingerant. Æſtum autem impetuoſiorem mitigant omnia acidulata, inprimis ♎tus minerales potulentis inſtillandi, Lapis Prunellæ cum pulveribus temperantibus, & Syrupi aciduli cum potionibus ejusdem virtutis combinandi, nec non MRa ſimpl. ſine camph. ad gtt. xxx. vel xl. interdum interponenda. Quodſi autem poſt uſum omnium horum remediorum, atque peractam ſufficientem miaſmatis peregrini evacuationem, motus iſti febriles nihilominus pertinaciter continuaverint, tunc licet ad ſecura *Febri fuga* properare, quorum ſpecialiorem enumerationem, ob chartæ anguſtiam & quia talia ſufficienter jam jam cognita ſunt, lubens nunc omitto, & unicum ſaltem hoc commendo, ut poſt illorum uſum alexipharmaca, digeſtiva atque ſtomachica adhuc per aliquot dies continuentur, tandem laxatio moderata aliquoties inſtituenda ſubjungatur, ægri â nimia ciborum ingurgitatione arceantur, & quantum poſſibile eſt, ad regularis diætæ obſervationem adſtringantur; quippe quæ ſola fere optimam præbet harum febrium medicinam.

TANTUM.

S. D. G.